

## AD GEMMAS ANTIQUAS. 3

eis historias rerum gestarum in honorem virtutis & splendorem famæ, similiterque dignitates, sacerdotia, sacrificia, sacra mysteria & insignia sacra, itemque varia symbola moralia ac naturalia cum signis cœlestibus & stellarum positionibus, in quibus multi varia credulitate ac superstitione se deceperunt. Quod vero attinet ad formatos in eis Deos, Atteius Capito peritissimus juris pontificii & memoratus Macrobio, prohibebat Deos gestare in annulis sculptos, *cum nefas esse sanciret Deorum formas insculpi annulis*. Attamen dense ac numerose id fecerunt, & plurimos videmus in gemmis, non modo ex eis, qui singulares erant Romanorum, sed quotquot ad eos venerunt ex Græcia, Ægypto, Perside: & vituperat Plinius, non solas fœminas, sed etiam viros in annulis habere amuleta & idola Ægyptia, Harpocratem, Isin, Osirin, Canopum & alios. *Jam vero Harpocratem statuas Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque ponere incipiunt*. Multa numina in hoc scripto occurrunt Ægyptia, Persica, Asiatica, Græca & Romana, & sane posset eorum turba colligi ad componendam plenam Iconologiam. Quod ad Heroas & civitatum conditores Regesque & Principes attinet, offerunt se Pergamus, Helenus, Diomedes, Perseus, Hyacinthus, Hercules, Hyllus, Aventinus, Romulus, cum lactente lupa, & similes, tum in his, tum in aliis imaginibus & ipsis gemmis. Et ut veniamus ad Reges, Alexander Magnus scribens in Europa signabat propria sua effigie; at in Asia utebatur annulo Darii. Interpres Thucydidis narrans Xerxem imperasse Artabazo, ut reddens epistolam Pausaniæ Spartanorum